

**Quaestio medica. ... An faustum sit omen qualibet in amaurosi periodus? / [Jean François Achille Lalouette].**

**Contributors**

Lalouette, Jean François Achille, 1740?-approximately 1815.  
Lalouette, Pierre, 1711-1792.  
Université de Paris.

**Publication/Creation**

[Parisiis] : [Quillau], [1774]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/jbfsvfsg>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



PATRI DILECTISSIMO  
**PETRO LALOUETTE,**  
 EQUITI ORDINIS REGII,  
 DOCTORI MEDICO, ACTUS PRÆSIDI.

**N**ULLUM est, Pater optime, majus desperatione malum, & fuit illa quidem mihi ratio cur hanc præ cæteris quæstionem evolvendam suscepimus; cum enim tuis premerer ipse malis teque eâ, quæ ad periodicas est referenda cæcitate non leviter afflictum cognoscerem; quid posset nobis esse solatio quæstivi impatiens. Id autem inveni, quod experientia ratiocinioque facilè comprobarem; de eâ scilicet, quæ periodos habet, Amaro si non esse omnino desperandum. Quam igitur mea in te pietas omni desiderio prosequitur, & jam prægustat, spei oblatæ lucem ne rejice. Quæ si te juverit, nihil dulcius, optime Parens, nihil optatius poterit contingere amanissimo tui & observantissimo Filio.

J. Fr. A. LALOUETTE, Baccalaureus.



OMNIS TERRA Sicut  
HABET HOC DILECTUM. Quidam  
TERRA ORBEM TERRAM  
SOCIIS MEDICE. AGITUS ET EGO

etiam tuus regnus quod tuum est. Et tu dico vobis quod  
vobis datur regnum vestrum. Quodcumque dicitur vobis  
vobis datur. Non enim dicitur vobis datur nisi datur vobis. Vobis  
datur regnum vestrum. Non enim dicitur vobis datur nisi datur vobis.  
Vobis datur regnum vestrum. Non enim dicitur vobis datur nisi datur vobis.  
Vobis datur regnum vestrum. Non enim dicitur vobis datur nisi datur vobis.  
Vobis datur regnum vestrum. Non enim dicitur vobis datur nisi datur vobis.  
Vobis datur regnum vestrum. Non enim dicitur vobis datur nisi datur vobis.



# QUÆSTIO MEDICA,

*QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,  
mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimā mensis  
Januarii, anno Domini M. D C C. LXXXIV.*

M. PETRO LALOUETTE, Regii ordinis Equite,  
Doctore Medico, Præside.

*An faustum sit omen quilibet in Amaurosi periodus?*

## I.

**N**ULLIS in hujus-ce terræ punctis, illibata prorsisque stabili sanitate fruitur gens humana. Suis régio quæcumque ætas & conditio peculiaribus morbis affligitur. Ruri solida fibrarum compages, densa fluidorum diathesis indefessoruimque laborum intensitas inflammations sæpissimè creat: urbi verò torpet corpus, gracilescit fibra, perpetuis vigiliis torquetur irrequieta mens, sensibilitasque, ut ita dicam, acuitur, & ad summum evehitur. Morbi nervorum indè crescunt, attentique clinici spasmi vestigia quilibet in ægritudine reperiunt. Sed quam obscurâ caligine nervorum involvitur theoria! ramifications tenuissimas solerti manu prosequuntur in vanum forè sudantes Anatomici. Cerebri concamerationes non sedulo minus scalpello visitant & admirantur. Nerveæ verò fibræ variarumque cerebri provinciarum naturam & usus genuinos quibusdam tantum effectibus noscunt, profundisque tenebris manent obruta sensibilitatis mysteria. Cæcutit igitur in theorâ Physicus, ficitiam phænomenorum rationem reddens, nec non Medicus empiricè sanans.

Omnibus autem nervei systematis morbos immutationibus convenient verba hæc; sive minima amplificans ab acerbissimis mæroribus ad vivissima gaudia mens subito transeat, sive nimis vibratilis fibra motus cieat inordinatos, sive nimis diù tensa, motave, jaceat immobilis & atona, sive fons ipse sensibilitatis labem quamdam concipiat, & intimis in penetralibus perturbetur, sive tandem sensuum organa proprio defraudentur munere. De morbis ergo quibus afficitur

optica pulpa, dicas idem, & præcipue de Amaurosi, quæ nihil aliud est quam cæcitas à laeso nervo secundi paris orta. Tristissima tamen istius ægritudinis natura, quamvis ignota sit, medelaque difficultima, non est semper desperandum quin amica lux ægro rursus affulgeat, iplumque quibusdam saltem radiis consoletur. Quinam sint autem casus in quibus spes aliqua superstes remediorum idoneorum tuadeat applicationem, inquirendum hodiè suscipimus.

## I I.

**G**UTTAM serenam definit Hoffmannus eam cæcitatis speciem in qua sanidentur oculi tam in membranis, quam in humoribus, cum pupillâ immobili & sæpiissimè magis dilatata. Dividitur à clinicis in chronicam minus sanabilem & acutam, perfectam & imperfectam, periodicam & non periodicam. Chronicâ dicitur quandò sensim sine sensu labefactantur vires oculi, amittiturque visio: acutam verò vocant si repente ac subito luce privatur æger. Perfecta meritò habetur ea quæ sub obscuriori velo ne levissimos quidem luminis radios admittit; imperfecta quæ lumini a tenebris distinguendo non omnino reddit organum impar; periodica quæ lucem modò tollit, modò restituit ægris impatientibus, & adhuc sperantibus; non periodica tandem quæ lumen per vices non recurrere finit, ægrumque ab obscuriori semper dicit in obscurius.

Hæ autem variæ Amauroseôn species causâ differunt & sede.

1º. Quæ dicitur acuta sæpiissimè nimio debetur sanguinis impulsu, per innumerâ vasa nervum opticum, vel illius pulpolam expansionem concomitantia. Chronicâ verò ab obstructione vel excrescentiâ tensim in vicinia pullulante, vel ab intimâ lentâque nervei texti perversione, vel, ut ita dicam, tabe nascitur. Perfecta vel imperfecta nuncupatur utraque, ratione symptomatum intensitatis. Quam tandem periodicam vocant, ea dupli potest referri causæ, vel enim pleroræ locali metastasive succedit, quibus sublatis, & ad alia translati imminuerunt morbus ipse, & tunc est per accidens; vel essentialiter à spasmo procedit, qui nervos ad sensationes oppositas subito, facileque transeuntes accommodat. Ultimæ huic speciei annumerari debet ea quæ levissimam objectorum distinctionem, luminisque perceptionem quamvis non permittat, ipsius tamen sensationem obscuram, & quasi fallacem, modò cum pupillæ coarctatione, modò tenebrarum sensationem aliquam cum ejusdem pupillæ dilatatione, per vices periodicas, admittit.

2º. Sedes etiam in variis Amaurosibus varias esse demonstrat autopsia. Constat enim ex observationibus à Boneto & Morgagni collectis, gracilem, tenuem & siccum repertum fuisse nervum secundi paris, vel nimio sanguine turgentem, quandòque in foramine optico exostosibus angustato strangulatum, abundantî compressum pinguedine, vel scirrhoso tumore coarctatum; non desunt qui vesicam aquosolatice plenam propè nervorum decussationem invenerint, vel fluidum circâ thalamo opticos effusum & premens, vel concretiones lapidosas in origine substantiâque nervi ipsius hærentes; alii globum oculi majorem, nervum verò imminutum; alii contrâ contabescensem totum observarunt oculum. Sunt tandem plurimi casus in quibus sagacem practici fugit aciem occulta morbi sedes. Sint in exemplum cæcitas oborta a Laudano vel Opiato quocumque; a convulsione per vulnera quædam exteriora; a contorsione spasmodica nervi optici, ut refert Morgagnus; a defectu fluidi vitalis; a fibrarum organi laxitate; ab epilepsia; a morbis spasmodicis quæ ultimæ possunt ferre omnes recurrentibus gaudere periodis, causasque non adeò rebelles ac primæ agnoscunt. Jam verò discrimina, ratione sedis, & causæ, cæcitates inter periodicas & non periodicas, quosdam spes radios per caliginem sparlos ad ægrum usque mittunt, ulteriori adaugendos examine.

**P**ERIODUM in morbo quocumque explicari difficillimè , probant infelicia numerotaque Physicorum systemata , dum intermittentum theoriam evolvere tentant . Alii enim faburram accusant intestinalem , quæ circulationis vias ut absorpta relegat , determinatis eget temporibus . Animam alii supponunt ab inimico perterritam , totisque viribus hostilia retundentem tela , periodicis vicibus , ac per intervalla , sic nifus dispergiri , ne continuo nimium labore defatigata fatigat , & ad secundum prælium fiat impar . Ut ut sit , periodum nerveum esse symptoma cum Clariss . Swietenio sentimus , demonstrantque frigoris effecta in intermittentibus , dolores periodici , febres anniversariæ , morbi regularibus intervallis recurrentes & terrore incussi , remittentium exacerbationes tensibilitate & irritantibus auctæ , accessiones post perfectam faburræ intestinalis eliminationem , novâ vi torquentes ægrum , & alia , quæ clinicorum opera legendo , sese præbent rationum argumenta .

Periodum in Amaurosi nervis etiam esse referendum credere quid vetat ? Sudent analogia & observatio . Multiplex autem distinguendus venit Amauroeos periodicæ status , quæ spasmis semper insignitur , doloribus cephalalgiticis , convulsionibus localibus , vel universis , aliòve symptomate nerveo declarandis ; in aliis enim redintegratur visio tempore relaxationis & induciarum ; in aliis è contrà accessionis tempore . Accedit & aliud discrimen sedulò observandum . Sunt quibus in instanti periodico cæcitatis , velo nigro obvelantur oculi cum pupillâ laxiori & dilatata , remissioneque symptomatum ; aliis è contrà remanet lucidorum radiorum incommoda continuaque decussatio , cum annuli pupillaris constrictione . Quandoque tandem observantur utraque phœnomena in statis regularibusque temporibus , modò cum dilatatione , modo cum pupillæ constrictione . Duæ autem inter plurimas stent observationes pro doctrinæ specimine , fulcimineque veritatis . Prima ab Hoffmanno instituta fuit , & habita in puellâ novenni , quæ postquam catharris glandulosisque colli tumoribus , narium siccitate vomituque cum Cephalalgia conflictata fuit , tandemque sanata , paulò post aeri sese exposuit frigidissimo . Mox in Epilepticum incidit affectum cum oculis fixis & omni sensuum abolitione . Sed linquentem mox revocans animam biliosa vomuit . Vehementissimis cruciata fuit capitis doloribus , acieque suâ privati sunt oculi . Tantis per re niterunt dolores , persistit cæcitas , redieruntque Epileptici subsultus . Administratis antispasmodicis leniterque diaphoreticis , sudore largo totum diffluxit corpus , cumque sudore redintegrata fuit visio . Sequentibus diebus recurrerunt dolores , spasti , & cæcitas , quæ cum sanitatis reditu , symptomatumque remissione quotidie suâ vice fugabatur , sed imminuta sensim sine sensu paroxysmi vis spem anxiæ menti reduxit , integraque visionis acies puellæ redditæ fuit .

Secundam præstitit quatuordecim annos nata adolescentula , cui , quamvis omnia simul accederent pubertatis signa , menstruus tamen fluxus nondum apparuerat . Mox Paralyssi tentata fuit duabus in extremitatibus inferioribus , motuque convulsivo in musculis colli , quo dextrorsum sinistrorumque agitabatur caput . Sed cæcitas interea oborta fuit cum vehementi pupillæ constrictione , vixque ferenda luminis indistinctâ sensatione . Adhibitis autem antispasmodicis & pediluviis , rediit post dies quatuordecim tam optata visio , cum dilatato nimis annulo pupillæ . Post menses aliquot symptomatibus iisdem conflictata fuit cum eodem exitu prospero , pedibus in sabinæ decoctione immersis , applicatoque supra umbilicum astæ foetidæ emplastro . Tertiâ tandem vice recurrente morbo , quamvis longius protracta fuit cæcitas , iisdem tamen omnino fugata fuit remediis . Mus-

culos autem colli convulsivè semper motos fuisse observandum est, primisque visionis temporibus lumen non adeò vividum quām anteà, sed moderatum apparuisse. Postquam verò talia attulimus exempla, nonne prouum est ut sequentia veluti conjecturas valdè probabiles habeamus & offeramus?

Si ægri nervus naturali tono privetur, luminis perceptioni jam non est amplius idoneum organum. Vigente autem spasmo affluunt novæ vires, fibra majori tensione gaudet, restituiturque quod ipsi ad sensationem deficiebat anteà. Non est ergò mirum, accessionem reddere visum; si contra nervus ægri sensibilior, ac, ut ita dicam, vibratilior, luce vividiiori percussus, convellatur, tunc tempore spasmī cœcitas accedit, & jam denuò cessabit redeunte symptomatum remissione novā, quæ si non perfecta detur in systemate nervorum admodūm vibratili, continua tunc splendidi veli sensatio afficiet ægrum. Apparentia verò nigri vel albi periodicas redeuntis sine distinctâ perceptione objectorum, rapiditatì nimiae debetur, quā spasmus atoniæ & atonia spasmo succedit.

## I V.

**D**ETERMINATA morborum classe cui referenda venit Amaurosis, enumeratis variis Amauroseōn speciebus, sedibus, & causis, stabilitâ periodicarum divisione, enucleatâ quantum in nobis est, & explicatâ periodi generaliter sumpti, & quatenus ad guttas serenas spectat naturā, ipsiusmet periodi tandem phasibus decompositis, & sub variis respectibus consideratis, restat ut quid remedii genus possibile sit, perscrutari breviter conemur, propositaque solvamus objectiones.

Necessaria est adeò distinctio superiùs allata, ut discrimen magnum afferat variis in agendi modis clinicorum.

1o. Gutta serena periodica per accidens, quæ nocivis debetur humoribus sive metastasi, sive degenerescentiâ nervum laedentibus, curationis spem non omnino excludit; evacuato enim sanguine, superfluo si detur plethora; purgatis per alvum humoribus si turgeant; fonticulorum & vesicantium ope derivatâ metastasi, si migravit acris latex quidam; discussâ, si quæ sit, hydragogis & aperientibus, serosâ colluvie; non ne potest fieri liberior optica pulpa, suumque in statum redintegrari? Sic puella de quā superiùs actum fuit, sanitati redditâ, integra recuperavit visionis commoda.

2o. Periodica & spasmodica Amaurosis duplex est. Vel enim periodicè datur & distinctè objectorum perceptio, vel confusè tantum vividi luminis sensatio, quod fit intermissionis vel spasmī tempore. Hujus autem cessante causâ, cœcitatatem cessaturam esse non est quòd desperemus, intermissionesque quòd libiores, eò noxa minor erit. Antispasmodica verò sola, anodyna, leniterque sudorifera vix tentanda veniunt. Sive enim roborantia, sive relaxantia suadeas, perniciosum æquè damnum hinc ægro posset accidere. Nam in hisce fere omnibus Amauroseōn speciebus tempus spasmī datur & atoniæ, quorum unum si imminuas, alterum auges. Paucissimis ergò tunc utendum remediis, naturæque confidendum, quæ sœpissimè sola sanat, necessariamque medelam affert; nullis autem in casibus de salute desperandum.

## V.

**O**BJICES 1o. Recurrentes paroxismi naturæ imbecillitatem demonstrant; quæ non potest hostem constanti fugâ procul arcere. Sed demonstrant iidem naturæ vim, quæ insultu quolibet, non instanti succumbens oneri, victricem saltem quoad tempus sese præbet, ita ut cuicunque prælio succedat victoria, quæ tandem omnibus numeris absolvi potest, & reverà quandoque absolvitur. Tunc

7

enim fit remissio symptomatum perfectior eadem ratione quam periodicae cœcitatibus  
imminuetur intensitas. Ob ies 2. Sunt plures Amauroses non periodicæ quarum  
cura feliciter successit. Talia Theseos non præpediunt veritatem. Sufficit huic si  
periodus semper faustè ominetur, si paroxitni, vim vitalem majorem semper  
demonstrent, si causa tunc levior facilius superanda sit, si tandem morbi sedes  
non tam altis hæreat radicibus; hæc autem omnia comprobant theoria & obser-  
vatio, firmissima duo scientiæ Medicæ fundamenta. Objicies 3o. Tales in morbo  
phases vitium in nervo sedere demonstrant, ideo magis pertimescendum. Revera  
ferè semper tunc laesio datur in nerveo systemate, & præsertim in opticâ pulpâ;  
sed tonum adhuc superstitem, vitamque ut ita dicam, tenacem annunciant visio-  
nis seu saltē luminis indistincti per vices recurrentis symptoma, secus ac in  
non periodicis in quibus fit continua cœcitas. Amauroses periodicæ sive sint  
per accidens & humorosæ, sive spasmodicæ & essentiales, non igitur opacæ dam-  
nant ægros cœcitatî; non perpetuis ibunt necessariò sub umbris; nova profundas  
expellere potest aurora tenebras; quæ lux per intervalla fulget, ipsis absolutè ref-  
titui potest, remanetque in fundo benignæ spei solatium :

*Ergo faustum omen qualibet in Amaurosi periodus.*

### DOMINI DOCTORES DISPUTATURL

*M. Joannes - Augustinus  
COUTAVOZ, Anatomes  
& Artis obstetriciæ in gra-  
tiam Matronarum Profes-  
sor designatus.*

*M. Thomas LEVACHER  
DE LA FEUTRIE, Ana-  
tomes & Artis obstetriciæ  
in gratiam Matronarum  
Professor.*

*M. Bartholomæus - Tuffa-  
nus LE CLERC, Consi-  
liarius Medicus Regis Or-  
dinarius in ejus Castelletto.*

*M. Dominicus - Joannes  
DE LA BICHE, Regis  
Exercituum in Insula S.  
Dominici Medicus.*

*M. Bertrandus DUPUY.*

*M. Ludovicus - Gabriel  
DU PRÉ, Serenissimi  
Principis Condæi Consi-  
liarius Medicus.*

*M. Joannes-Baptista-Eu-  
genia DUMANGIN.*

*M. Joannes COLOMBIER.*

*M. Antonius PETIT, in  
Horto Regio Anatomes &  
Chirurgiæ Professor, è Re-  
giâ Scientiarum Acadé-  
miâ, & Militarium Regni  
Nosocomiorum Inspector.*

Proponebat Parisiis JOANNES - FRANCISCUS - ACHILLES LALOUETTE,  
Parisinus, Eques, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus,  
Theseos Auctor. A. R. S. H 1774. A SEXTA AD MERIDIEM.

## DOMITIO CLOVIS DISPUTATULUS

DOMITIO CLOVIS DISPUTATULUS  
CLOVIS DOMITIO CLOVIS DISPUTATULUS  
CLOVIS DOMITIO CLOVIS DISPUTATULUS

DOMITIO CLOVIS DISPUTATULUS  
CLOVIS DOMITIO CLOVIS DISPUTATULUS  
CLOVIS DOMITIO CLOVIS DISPUTATULUS

DOMITIO CLOVIS DISPUTATULUS  
CLOVIS DOMITIO CLOVIS DISPUTATULUS  
CLOVIS DOMITIO CLOVIS DISPUTATULUS

DOMITIO CLOVIS DISPUTATULUS  
CLOVIS DOMITIO CLOVIS DISPUTATULUS  
CLOVIS DOMITIO CLOVIS DISPUTATULUS